



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. IV. Quænam deterior sit Incontinentia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Quotuplices status voluptates?

Duplices: Aliæ enim absolutè sunt jucundæ, quæ omni animantium generi conveniunt: *Recurre ad medicos de appetitu gravidarum mulierum.*
Aliæ non sunt per se jucundæ, & præter naturales dicuntur, sed vel ex morbo, vel consuetudine vitiosa & depravata natura nascuntur. Ejusmodi voluptas fuit Lamie, quæ incisis gravidis mulieribus fœtus devorare fuit solita.

Annon circa postremum quoque genus continentia versatur?

Beluina voluptas sub vocabulo incontinentie continetur, non ut sub genere, sed propter similitudinem. Est enim duplex incontinentia: alia absoluta, alia autem in ira, pecuniis, honoribus, ac ferinis etiam voluptatibus cernitur, quæ cum additione illarum rerum exprimitur.

CAP. IV.

Quanam deterior sit Incontinentia.

Utrum turpis est, iræ, an cupiditatis incontinentia?

Ira: Videtur enim hæc quodammodo paterentationi, quamvis eam non attentè audiat, more ministrorum, qui præposterè munus aliquod obeunt, antequam omnia quæ præscribuntur audierint, abeunt, ut deinde officio defint. Sic iræ fervore natura incitata audit quidem rationem, sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se convertit: Sed cupiditas qualicumque motu ad perfruendas voluptates rapitur. *Ira furor brevis est.*

Alio argumento idem ostendas?

Ei potius ignoscendum est, qui cupiditates sequitur naturales: Iracundia autem natura potius data est, quam cupiditates: Ergo iracundus magis venia dignus est, quam qui ob pravas cupiditates incontinens dicitur.

CAP. V.

De differentia pertinacis & continentis.

Potestne continens etiam appellari pertinax?

Sunt quidem similes quodammodo, quia uterque permanet in opinione: Sed in hoc differunt, quod continens semper in vera, pertinax autem in qualibet persistat: adeo ut nullis rationibus, quantumvis melioribus, a proposito se dimoveri patiatur; & hi recte possunt nominari *ἰσχυρογνώμονες* & *ἰδιογνώμονες*, *Halsstarrige* vnd *Halstarrige Leute*.

Estne simpliciter incontinens nominandus, qui in sententia non persistit, cujuscumque tandem mutata fuerit quod secum constituit?

Nequaquam: Sed is tandem, qui ob turpem mutat propositum: neque enim Neoptolemus incontinens est dicendus propter ea, quod sententiam mutavit, cum Ulyssi permisisset mentiri.

CAP. VI.

De incontinentia consuetudinaria & naturali.

Quorum